

NVMMI CASTRENSES AC TRIUMPHALES:
CUI REBUS FELICITER GESTIS IN VN-
garia: ereptoque Turcis Strigonio: Anno
Christi 1595.



CAROLVS Mansfeldius, Comes Petri Ernesti filius, cum multos annos Regibus Hispaniarum & Galliarum fideliter militasset, eam nominis sui famam atque celebritatem excitavit, ut Rudolffus Imperator cum licentia Regis è Belgio in Vngariam evocatum, consuetis ceremonijs Equitis Aurati dignitate & titulo Principis Imperij insigniverit, Vicariumque Archiducis Matthiæ (qui supremus exercitus Cæsarei adversus Turcas Imperator constitutus erat) creaverit. Is militis, ex hybernis collecti, signa recenset, auctusque suorum, quos è Belgio adduxerat numero, ad Wiselburgum castrametatur: laurinum paucis comitatus lustrat, ac obsidionem eius moliri sese simulat. Utque firmiorem simulationi fidem faceret, locum figendis castris designat, cunctosque signo dato, operi manus admovere imperat. Ipse etiam primus ligone terram fodit, & nunc in medio, nunc circa finem munimenta excitantibus adest. Nobiles aliquot cum iniunctum sibi opus detrectarent, & ligneos fasciculos, Ducis sui exemplo, comportare ad aggeres erigendos recusarent, unum, ut erat veste armisque indutus, è propinqua arbore suspendi iubet: quæ severitas deinceps promptos & alacres, cuiusvis etiam ordinis alios, reddidit. Turcæ repentinâ obsidione territi, præsidio undique evocato, laurinum cum amplissimo comœatu contendunt: dū Carolus nocte mediâ celeriter Strigonium, iam præsidio vacuum, movit: dispositisque castris, ne, qui excefferant laurinum ocyus redirent ad urbem, munitiones Marte secundo, juncto pontibus Danubio, expugnat. Eâ rerum facie territi oppidani, qui que arcem tenebant, Sinani, quo discrimine premerentur, denunciant. Sinanes se non passurum aiebat, ut propugnaculum, quod 30. annis obtinuerant Turcæ, se vivo occuparetur. Numero igitur suorum confusus ad castra pervenit, eadem uno impetu obrutus. Venerat opportunè ad Carolum Ioannes Medices, Florentiæ Dux, cum